



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Cauenda vt sit præsumptio omnis, & quod in Dei sola sit misericordia sperandum. Cap. LIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Exercitium ad cor Iesu quotidie seruandum quod.*

## CAPVT LIII.

**E**xercitium mentale prebreue ad cor Iesu serua quotidie, atque eiusdem figuram circa ostium cellae, ut primum sit, quod ingredienti exeunti, ve occurrat, teneas. Nunquam illud absque reuerenti & deuoto osculo praeferas. Osculans illud, benedicas, dicendo: *Benedicta sis pissime Iesu sanctissima uoluntas, cordis tui, fac ut mei cordis nunquam ab ea discordet uoluntas.* Item: *O Iesu benignissime, aufer à me cor pessimum meum, & da mihi pro illo aut cor tuum, aut cor nouum secundum cor tuum, cor amantissimum, fidelissimum, purissimum, compatientissimum, misericordissimumque, quod tu simplices, in te absorbeas ac unias.* Item: *Salue cor amantissimum, misericordissimum & fidelissimum, Domini mei Iesu Christi, trahere cor meum intrate, & gratia tua, inde emanet in me, ut perpetuo inseparabiliterque tibi agglutines ac unias me.* Vide Pharetram diuini amoris, & libros Infusionum diuini amoris, hoc est, S. Getrudis è Saxonia, & plura inuenies exercitia.

*Cauenda ut sit praesumptio omnis, & quod in Dei sola sit misericordia sperandum.*

## CAPVT LIV.

**P**ericulosa est tentatio religiosorum, si quando se gratiam aliquam accepisse putant à Deo quam non habent, vel maiorem existimant hanc esse, quam est. Inde enim incipiunt alios despiciere, & de se nimium sentire. Propterea homo quando se à Domino aliquid accepisse cognouerit, debet quidem gratias esse: sed non praesumat quod tam magnum sit, sicut ipse putat, quin potius seipsum ignoret: imo semper se de superbia & ingratitude, & negligentia suspectum habeat & iudicet, timeatque quod minus humilis sit quam debet, & indeo minus gratus & acceptus Deo, quam si haec non haberet: cum tamen debet tunc è contrario esse magis gratus. Putet se quidem à Deo multa recepisse, uerum eadem Dei dona, sua quoque accedia malitiaque in se destructa gemat. *De donis Dei superbi-ge, quam sit stultum & vanum.* Vide inter te & ea quae Dei sunt, & vide quae tua sunt, & quid ex te sis, num occasionem inuenire queas aliquam superbiendi, aliosve despiciendi: praesertim nullam. Illa enim in quibus uelis gloriari, uel praesumere, tua non sunt, sed solum accommodata, & reperenda à te etiam cum uisuris, quando is qui tibi accommodauit ea, uoluerit. Si pauper & mendicus, pretiosa uerimenta à diuite accepit, non est propter illa ditior, gloriosior, uel melior, quia ipse non sunt: sed est ille idem mendicus, etiam si purpura & serico alieno uestiretur. Vanissimus igitur esset, si propterea ceteris pauperibus insultaret, si se praeferreret, quia cras cum

cū voluerit is, qui vestes illi accommodavit, repetet easdē, & ille miser nudus ante remanebit & miserabilis: Sic etiā tu, si omnium sanctorū dona & virtutes suscepisses, omnia Deo hæc tibi solū sunt accommodabit & ta nec ex istis es melior, sed idē ipse es, qui es. Si ergo nūctū nōnulla bona faceres quæ cæteri nō facerent, aut ea melius quā cæteri faceres, nunquid propterea esses melior, vel honoratior? Minimè. Ideo facis, quia hoc Dominus tibi dedit ut faceres. Si dedit, ergo nō est tibi, Dei sunt dona, nō tua. Aliū autē puta quod propterea non faciat, quia illi Dominus hæc nō dedit. Auferantur gratiæ & dona à te, & dētur alij, & quid tunc facias tu, quid ille, perspice. Noli in aliqua virtute, nec in aliquo exercitio, nec in dono Dei, nec in bona consuetudine sed in sola Dei misericordia & gratia confidere. Cū senseris in te cogitationem huiusmodi: Iam volo me bene continere, aut iam volo malæ cogitationi resistere, quia hoc vel illud facio, & similia cogitationem hanc confestim abijce, atque de superbia ac præsumptione te argua. Cogita cum timore ad singula quæ facis, aut de quibus præsumis, quam sint multi, qui talia melioratq; facientes vel habentes ceciderunt. Nunquam ad id te fortis, nunquā ad eodē recollectus, ut non leuissimæ tentationis te aura concutiat, & sæpe euertat. Potest te tentatio quæcumq; de summo ad infima præcipitare, nisi Dei sola gratuitaq; misericordia hoc prohiberet, te præseruando, confortando, & tentationes amouendo. Exempla huius non solum legisti, sed oculis etiam vidisti creberrima. Time igitur tibi, & aliena te faciant pericula cautum. Nihil enim tu facis boni, quod illi non fecerunt, (ij scilicet quos vidisti, qui videbantur magna agere, & putabantur illuminati, nihilominus tamen desperabiliter corruerunt.) Nihil tu habes quod illi non habuerunt. Nihil es illis maior aut fortior. Quamobrem, si tu non grauius, aut saltem æque ut illi cecideris, nequaquam per te id fit, sed Dei sola benignitate & misericordia te præseruante. Noli igitur melius quam de alijs de te sentire, aut quod sis diligentior, deuotior vel feruentior, &c. quocunq; alio, quia quomodo sit quomodo ve stabis in iudicio & præsentia Dei, hodie ignoras. Cogita quoq; quod vno puncto, vel vna breuissima hora, potes omnem gratiam & dispositionem, & omne propositum tuum, & voluntatem proficiendi amittere, & per tentationes in infinita pericula, atque in amentiam vel obstinationem incidere. Ideo semper time, ne sis (sicuti hucusque fuisti) nimis ingratus Deo, superbus, & erga fratrum infirmitates amaricatus. Nescis enim quæ sint iudicia Dei. Si non humilis fueris, aut si alios despexeris, hæc omnia quæ sancte proposuisti non inuabunt te, nisi ad maiorem tuam damnationem, propterea quod scis, & eadem facienda non facis.

*Statuta quindecim à Deo, deuoto necessario obseruanda quæ sint.*

CAPVT LV.

**H**Æc sequētia nisi obserues, neq; nomē neq; habitus tibi prodest religionis. Examina igitur quotidie te, quantū in illis profeceris, & quotidie spiritum tuum exhortare, te reprehende, vrge, coge, propositumq; tuum in dies renouandum obserua. Primum est, ut peccata tua semper ante oculos habeas, & vehementi contritionis dolores faciem Dei erubescat, nihil sentiens de te aliter, quam omnium te esse vilissimum, negligentissim-

Peccata commissa semper ante oculos habenda.